ferri ueios. sed sub autumni initium obsidionis cum etruscorum concilium ad
phanum uoltumne frequens habitum esset. parum conuenit bello ne publico gere-
ret uniuersi tuendi ueientes essent. Ea oppugnatio segnior insequenti
anno fuit parte tribunorum exercitusque ad uolscum aduocata bellum.
¶ Tribunos militum consulari potestate insequens annus habuit. C. ualerium potitum
tertio. Manlium sergium fidenatem. P. cornelium maluginensem. T. cornelium
cossum. C. fabium ambustum. spurium nautium rutilum. Cum uolscis inter
ferentinum atque ecetram signis collatis dimicatum. ¶ Romanis secunda
fortuna pugne fuit. Artena inde uolscorum opidum, ab tribunis obsi-
deri cepta. Inde inter eruptionem temptatam, compulso in urbem hoste, occasio
data est romanis irrumpendi, preterque arcem, cetera capta. In arcem mu-
nitam natura globus armatorum concessit. Infra arcem cesi captique multi
mortales. Arx deinde obsidebatur; nec aut ui capi poterat, quia pro spa- uirpumpeii
tio loci satis presidii habebat, haud spem dabat deditionis, omni publico
frumento priusquam urbs caperetur in arcem conuecto. Tedioque recessum inde
foret, ni seruus arcem romanis prodidisset. Ab eo milites per locum ardu-
um accepti cepere, a quibus cum custodes trucidarentur, cetera multi-
tudo repentino pauore oppressa in deditionem uenit.
¶ Dirupta et arce et urbe artena, reducte legiones ex uolscis,
omnisque uis romana ueios conuersa est. proditori autem pre-
ter libertatem, duarum familiarum bona in premium data:
seruius romanus uocitatus.
¶ Sunt qui artenam ueientium non uolscorum fuisse credant.
prebet errorem quod eius nominis urbs inter cere atque ue-
ios fuit. sed eam reges romani diruere. Ceterum que non
ueientium fuerat. altera hec nomine eodem in uolsco agro
fuit, cuius excidium est dictum.

Titi Liuii patauini historici liber quintus incipit.



ace alibi parta romani ueiique in armis erant
tanta ira odioque, ut uictis finem adesse appareret.
Comitia utriusque populi longe diuersa ratione facta sunt.
Romani auxere tribunorum militum consulari po-
testate numerum octo. quod numquam antea creati. M. emilius
mamercus iterum. L. ualerius potitus tertio. Appius cla-
udius crassus. M. quintilius uarrus. M. Julius tullus. M.
postumius. M. furius camillus. M. postumius albinus. Veie-
tes contra tedio annue ambitionis, que interdum discordiarum
causa erat. regem creauere. Offendit ea res populorum etrurie
animos, non maiore odio regni quam ipsius regis. Grauis iam
antea is genti fuerat opibus superbiaque: quia solemnia ludorum,
quos intermitti nefas est, uiolenter diremisset, cum ob iram re-
pulse, quod suffragio xii populorum alius sacerdos ei prelatus esset, ar-
tifices (ludorum) quorum magna pars (regis) ipsius serui erant ex medio ludicro (ludo) re-
pente abduxit. ¶ Gens itaque (s. etrusca) ante omnes alias eo magis dedita re-
ligionibus, quod excelleret arte colendi eas, auxilium ueientibus negan-
dum, donec sub rege essent, decreuit. Cuius decreti suppressa est fa-
ma ueiis, propter metum regis: qui a quo tale quid decretum referre-
tur, pro seditionis eum principe non uani sermonis auctore habebat.
Romanis etsi quiete res ex etruria nuntiabantur, tamen quia omnibus consi-
liis eam rem agitari afferebatur, ita muniebant, ut ancipitia
munimenta essent: alia in urbem, et contra oppidanorum eruptiones
uersa: aliis frons in etruriam spectans auxiliis, si qua forte in-
uenirent, obstruebatur. cum spes maior imperatoribus romanis in
obsidione quam in oppugnatione esset. hibernacula etiam res noua
militi romano edificari cepta, consiliumque erat hiemando continuare
¶ Quod postquam tribunis plebis iam diu nullam nouandi res rebellum
causam inuenientibus romam est allatum, in contionem prosiliunt, sollicitant
plebis animos, hoc illud esse dictitantes, quod era militibus sit constitutum,
nec se fefellisse donum id inimicorum ueneno illitum fore.
uenisse libertatem plebis remotam in perpetuum, et ablegatam ab ur-
be et a re publica iuuentutem. iam ne hiemi quidem aut tempori cedere
ac domos ac res inuisere suas. quam putaret continuate mili-
tie causam esse? nullam profecto aliam inuenturos, quam ne quid per frequentiam
iuuentutem eorum, in quibus uires omnes plebis essent, agi de commodis
eorum posset. vexari preterea et subigi multo acrius quam ueientes.
quippe illos hiemem sub tectis suis agere, egregiis muris